



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 16. Pauli V. Pontificis querelæ contra hæc attentata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

rum familia Matronæ cujusdam sibi cognatæ pudicitiam attentare præsumperat, Brandolinus vero Valdemarinus multos interfecisse arguebatur: ambos igitur Senatores Veneti carceri manciparunt, ac sæpius incassum tamen admoniti captos detinuerunt, nulla habita Ecclesiasticæ dignitatis ratione.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. XVI.

Pauli V. Pontificis querelæ contra hæc attentata.

Hæc omnia ferme jam gesta erant superstitite adhuc Clemente VIII. Pontifice Maximo, qui tamen postquam ea de re incassum querebatur, mira sapientia & moderatione totum dissimulabat, Sanctum Gregorium Magnum imitatus, qui Mauritii Imperatoris edictum, quo Ecclesiastici rationibus obnoxios Clero adscribere prohibebantur, commendabat, & adversus alteram edicti partem qua Monachis milites nondum expleto militiæ tempore suscipere inhibitum, non nisi querelas, suasque rationes, non fulmen opposuit, imo & juxta Imperatoris mandatum *jussioni subjectus*, idem edictum *Daniel hist. per diversas terrarum partes transmitti fecit, de France tom. 10.* quia tamen hanc legem ipsam Omnipotenti Deo minime concordare arbitratur, per scriptam paginam suas rationes serenissimis Domi-

Sæc. XVII. *Dominis suis Mauritio, ejusque Filio Theodoro*
A. C. 1606. *dofio nuntiabat, eo fine, ut utrobique, quae*
debut, exsolveret, & Imperatori obedientiam præberet, & pro Deo, quod senserat,

S. Gregor.
Magn. l. 2.
epist. 62.

minime taceret. Ceterum Paulus V. ejus Successor imminutam Ecclesiæ libertatem, violatos Canones, messique alienæ falcem a Senatu admotam existimabat, unde suam auctoritatem, quam in tuendo Ecclesiasticæ libertatis jure in Italia magis quam alibi extenso sub primis Pontificatus sui auspiciis Genuæ, Luccæ & Neapoli monstraverat, contra Venetos exerere statuit, ac primo quidem de ejusmodi legibus cum Oratore Veneto graviter exoptulans, demum instituta publice querela, Venetos in jus vocabat, pronuntians, velle se, ut abrogatis hisce legibus sine mora obedirent, atque Orator Venetus ea de re quantocius ad Senatum perscriberet. Paruit hic Papæ mandatis, cui tamen a Senatu injunctum, ut Pontifici significaret, nihil ea lege adversus libertatem Ecclesiasticam fuisse decretum, eo quod lex ad laicos directa de eorum bonis mere profanis disposuisset, idem quoque a Valentiniano, Valente, & Gratiano Imperatoribus, necnon a Carolo Magno in Saxonia, a B. Ludovico in Galliis, Eduardo III. in Anglia, Carolo V. in Belgio fuisse sancitum, ac in pluri-

pluribus aliis locis sæpius executioni demandatum. His parum commotus Pontifex subjecit, quod hortatorias literas, quales simili in causa contra Genuenses fuerant jam olim expeditæ, ad Senatum mittere decrevisset: postea querela de captivis Ecclesiasticis mota subjunxit, quod si Senatus ea in re cuidam niteretur Privilegio, eidem onus probandi incumberet, cum igitur Orator, in causis gravioribus contra Ecclesiasticos jurisdictionem exercendi gratiam a Clemente VII. & Paulo III. Senatui concessam allegaret, mox Pontifex eandem primum restrictam ac demum per *Bullam Cæncæ* revocatam declarabat.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

§. XVII.

Veneti Oratoris rationes coram Papa propositæ.

Postremo cum de lege Sacras ædes concernente ageretur, Orator hæc proposuit: „Exemptio Ecclesiasticorum „in criminibus civilibus, non est de jure „Divino, sed primum ab anno Christi „quadringentesimo benignitate Principum hæc gratia Sacro Ordini facta usque ad annum millesimum ducentessimum vigesimum invaluit, cujus rei „testimonia in Theodosii & Justiniani „Co-

Thuan. l. c.

Hist. Eccles. Tom. LIV.

D

„Co-